

... et p...  
... ex...  
... **Q**u...  
... qua...  
... fenu...  
... pmanes...  
... ganat...  
... **Q**u...  
... tris...  
... filii...  
... ne...  
... nobis...  
... **Q**u...  
... **ne se po**...  
... qu...  
... no du...  
... inoce...  
... **Q**u...  
... **Q**u...  
... **Q**u...

**H**ic s. Conuenientia  
nobis unum in hoc est  
domica cena memoranda. In  
quibus enim sua cena plerumque  
ad manducandum. Et alii quidem  
esurit. alius autem eius est.  
Nunquid domos non habent ad  
manducandum. et bibendum. et  
ecclesiarum dei acceptant. et con  
suetudinis eos qui non habent.  
Quod dicitur nobis. Laudo uos  
in hoc non laudo. Ego enim ac  
cepi a domino: quod et tradidi uobis.  
quoniam dominus ihesus in qua nocte tra  
dit. accepit panes et gratias  
ages fregit et dixit. **H**oc est cor  
pus meum quod pro uobis tradit.  
hoc facite in mea commemoratio  
ne. **S**umit et calicem postquam  
cenauerit dicens. **H**ic calix no  
uum testamenti est in meo sanguine



40  
90  
EPITHALAMION

*In honorem Nuptiarum*

**HONESTISSIMI,**  
VIRTUTIS AC PIETATIS  
STVDIOSISSIMI IUVENIS, Dn.  
STEPHANI RÜDIGERI SPONSI,  
patruelis sui colendi;

*et*

*CASTISSIMÆ AC PVDICISSIMÆ*  
*VIRGINIS MARIÆ, VIRI SINGVLARIS*  
*virtute ac dignitate prestantis, Dn.*  
*ERASMI DE GLEINEN, Illustrissimorum*  
*Saxonia Ducum, in aula Dresdensi, Musici*  
*primary filia, SPONSÆ:*

Celebratarum 17. Febr. An. 1595.

*Moris & fraterni amoris ergò conscriptum*

A

Paulo Rüdiger Iuniore Eckersbergen.  
LL. Studiofo.

L I P S I Æ

246  
Excudebat Abraham Lamberg.

EPITHALAMION.



*Empore quo breuior lux est, & Dadala tellus  
 Sub niueo rursus tecta vapore latet.  
 Floribus amissis quando sua rura puella  
 Lugent, ac errant per nemus omne fera.*  
*Tunc Phæbus terram radijs urebat acutis,  
 Et flabat Zephyrus leta per arua tepens.  
 Mox ego Lipsiaca cedens ex mœnibus urbis,  
 Explicito voluens carmina sacra libro:  
 Nam mecum Turcæ meditabar bella Tyranni,  
 Quæis premitur summo turba dicata Deo.  
 Ut sacra leniret tantum medicina dolorem,  
 Quærebam tremulo pratula culta gradu.  
 Floridus ad portam locus est, & amœna vireta,  
 Nec procul à ripis Plissa vadosa tuis.  
 Huc igitur veniens, vidi dulcissima tempe,  
 Atq; dedi somno pectora fessa leui.  
 Dumq; cubo timidus, magnus ferit athera clamor,  
 Auditur sonitus, fila Lyraeq; sonant.  
 Ecce mihi Phæbus præbet se fronte videndum,  
 Qui citharam palmis dulce gerebat onus.  
 Pectora fulgebant, Pario ceu structa lapillo,  
 Ornabant albas aurea ferta comas.  
 At qualis fuerit facies, qua forma Lacana,  
 Vix potero verbis enucleare meis.  
 Obstupui, steteruntq; comæ & vox faucibus hæsit,  
 Certa cano, mecum vix satis ipse fui.  
 Auriculam manibus dextram mihi vellit Apollo,  
 Diuino fundens talia verba sono:*

*Heus*

Heus iuuenis, fatur, Clarij cupidissime fontis,  
 Quos modo capisti pectore, pone metus.  
 Dulcia pertinent tacitam nunc gaudia mentem,  
 Deserat & gelidus pectoris ossa pavor.  
 Excipe mox calamo, dixit, qua dicere tento,  
 Ut possis Latio reddere verba sono.  
 Ille tuus nam RŪ DIGERVS, quem pectore toto  
 Diligis, & frater qui tibi semper adest:  
 Gaudia iam celebrat festa socialia tædæ,  
 Atq; subit liciti fœdera casta thori.  
 Ducit & in thalamum forma prestante puellam,  
 Cuius & excellunt ora tenella rosas.  
 Quæq; pudore Saram superat, facieq; Lacenam,  
 Cui dedit ac ingens forma benigna decus.  
 Et veluti Lydo splendet Iaspis in auro:  
 Sic micat in roseo virginis ore pudor.  
 At quid multa feram? prognata est illa parente,  
 Saxonicum, DRES DÆ, quem colit aula Ducum.  
 Hec satis esse volo: munuscula digna feramus  
 Sponso; nam meus hic dulcis alumnus erat.  
 Cynthius extemplo Phœbus sic farier infit,  
 Commendaturus munera voce pia.  
 Qualibet aſt Muſæ pendent narrantis ab ore,  
 Dum canit Heroö carmina grata sono.

A P O L L O.

Vos Aganippæi sanctissima Numina fontis,  
 Inclita Mnemosynes, Phœbi & generosa propago,  
 Seu vos Pindus habet, Clariæ seu Phocidis ora,  
 Aut si quæ fuerint bifidi iuga frondea montis.

*Huc citò ferte pedes lauru Parraſide cinctā,  
Huc agite & letis Hymenēia gaudia tadis  
Dicite, Phœbeis & tangite nablia chordis,  
Flexibiles hederas, & Eryngion utile nuptis  
Spargite: Sponſa ſuo ceu quondam Leſbia Sponſo.  
Tu, quæ ſcrutaris tacitis famulantia fatiſ  
Sidera, quæq; inter tacitas fœcunda ſorores  
Diceris, incipias fari, te CLIO ſequatur.*

V R A N I E.

Postquam DEVS ter Maximus  
Cœlum, ſalum, terram & feras,  
Piſceſq; amantes flumina  
Formauerat verbo ſuo.  
Gleba deinde ex lutea  
Viuo valentem ſpiritu,  
Primum maritum condidit,  
Animantium regem omnium.  
Poſthæc marem conſortio  
Suo carere, commodum  
Dixit Deus non eſt, pia  
Conſors ei formabitur.  
Coſtam DEVS de corpore  
Sumens Adæ, dum dormiit  
Euam ſtatim bonum genus  
Creauit, & viro dedit.  
Quare eſt ſacri fœdus tori  
Tollenda res ad ſidera,  
Seruator huius nam DEVS  
Eſt, & probator optimus,

CLIO

CLIO.

*Sacra placere tori IESU quoque, fœdera CHRISTO,  
 Demonstrant doni munera magna sui.  
 Nam liquido purum fundit de flumine vinum,  
 E vitreis reddit nobile nectar aquis.  
 Hic ubi cum Cana tadis interfuit ipse,  
 Quo declaravit vincla placere sibi.*

THALIA.

Quem DEV M iussit pietas timere,  
 Eius & leges didicisse iustas,  
 O quater felix erit hic in ævum  
 Atque beatus.  
 Lautæ præduro manuum labore  
 Ferula gustabit, studioque parta  
 Maximo, cedent niueis notanda  
 Singula cedris.  
 Et suam cernet similem falernæ  
 Coniugem viti, varios in usus  
 Quæ bonos confert meliore fructus  
 Tempore nobis.  
 Mensa vernabit pueris tenellis:  
 Ut comis floret teneris oliua,  
 Quæ suæ laudem domui parabunt  
 Non perituram.  
 Ergo qui magna pietate præstas  
 Sponse, fac Sponsam redames venustam,  
 Sic Deus multa faciet, quod opto,  
 Prole parentes.

M E L P O M E N E.

Coniugium res est sacrata:  
 Nam DEVS in pulchris Paradisi  
 Hortis, instituit thalami sacra  
 Fœdera legitimi, primæuo  
 Euam connubio dum iunxit  
 Adamo, propriamq; dicauit.

Turpiter ergò facit qui tædæ  
 Vincula contemerat fœcundæ:  
 Osorem Deus hunc horrendis  
 Corripiet poenis, ceu Troiam  
 Puniuit, Sodomam atq; Gomorram.  
 Sed tu formosam, quod iungis  
 Et teneram nunc, Sponse, puellulam  
 Laude vehendus eris præclara.

T E R P S I C H O R E.

*Sit proba, ceu Domino, coniux subiecta marito,  
 Proferat & socij debita iussa viri.  
 Talibus Abramo quondam placuisse fideli  
 Moribus ornatam legimus vsq; Saram.  
 Namq; hæc esse suum Dominum cognouit Abramum,  
 Dum facit officij munia iusta sui.  
 Sit quoq; cura viris, scuticâ ne terga flagellant  
 Vxorum, Arcadiæ sicut agaso fera.  
 Fœmina nam quæuis fragile est vas, ergò cauendum,  
 Ne crucient plagis, verberibusq; premant.  
 Sic venerare tuam (dico tibi cognita) nuptam,  
 Quæ thalamos intrat iam, pie Sponse, tuos.*

*Sic*



*Sic quoque, Sponsa, tuum redama, cole, dilige Sponsum,  
Nam digna es Sponso, casta MARIA, probo.  
Tunc Dominus presens aderit, vestroque labori  
Subueniet dextra non remorante DEVS.*

E V T E R P E.

O felix nimium, cui thalami piam  
Confortem, placidis moribus & bonis  
Ornatam dederit cunctipotens DEVS  
Tædæ vincula cui placent.  
Nam gemmas superat splendidulas Tagi,  
Seruat quæ thalami dulcia fœdera,  
Blandis exhilarat colloquijs virum,  
Ut vitam peragat sacram.  
Et semper celeri fila trahit manu,  
Vestes ut famulis conficiat suis.  
Talem Sponse tuo, non secus est, noue  
Iuncturus lateri DEVS.

C A L L I O P E.

Nimbus velut perturbidus,  
Qui ferre frugibus solet  
Damnum: ferox sic & mala  
Vxor viro semper nocet.  
Mores studet, qui flectere  
Eiusmodi viraginis,  
Hic impetum tentat suis  
Euri tenere viribus.  
Sed quæ fidem soluit tori,  
Isthæc feroci peior est,  
At, Sponse, tales ut tuis  
Absint, DEVM tædis precor.

ERA-

E R A T O.

Dilectus Veneri refulget Hesper,  
 Cœlum vertitur, ac adest opaca  
 Nox, fomnos placidos inire suadens,  
 Ergo CHRISTE veni, Dei propago,  
 Curæ cui sacra sunt tori iugalis,  
 Sponsis munera deferas vt alma,  
 Coniungas simul & recens amantes.  
 Concordes habeant domum vt perennem.

P O L Y M N I A.

*Viuite felices, grandæui Nestoris annos  
 Cernite longos:  
 Viuite concordēs, DEVS ac det plurima vobis  
 Pignora lecti.  
 Adsit Apollinea vobis CONCORDIA lauru  
 Nexa capillos.  
 Non turbent thalamum lites, nec dura loquacis  
 Iurgia lingua.  
 Ast tibi nunc opto cum Sponsa, Sponse colende,  
 Mollia fata.*

A P O L L O.

*Hæc cecinisse satis: Venit Hesperus, ite Camœna,  
 Ite mea vires, mea gaudia sola, propago:  
 Rumpite deposita tenerum testudine carmen,  
 Et iuga Castaliæ conscendite florida rupis.*

Paulus Rüdiger Iunior Sp.  
 Patruelis Fec. Lipsiæ.

ALIVD.

A L I V D.

**C**ælibe de vita, vinculisq; iugalibus, olim  
 Ingenuâ Iuuenis queritat arte vicens.  
 Cui mox dulciloquo sapiens Anyti reus ore,  
 Commotus precibus, talia verba refert:  
 Piscis vti tremulo latitans sub marmore circum  
 Occultos nasse lusat vsq; dolos.  
 Ilicet est animus nexas intrare sagenas,  
 Pergratum cupido gustet ut ore cibum.  
 Ast ubi deceptus, fallacem linquere nassam  
 Audet, & optatâ non licet ire viâ:  
 Festa parans liber sic connubialia plausu  
 Iubilat, ac tacito gaudia corde fouet.  
 Postmodò constrictus vinculis socialibus, audax  
 Illa Theonino rodere dente solet.  
 Et sua qui nondum submitit pectora vinculis.  
 Exoptat, celebrat, laudat, amatq; torum.  
 Sed tu SPONSE mihi vitâ qui carior ipsâ,  
 Qui mihi perpetuâ cognitus atq; fide.  
 Quid facis? exagitat qua nunc meditatio mentem?  
 Cur subdis thalami libera colla iugo?  
 Est bona libertas, pretio pretiosior omni,  
 Ist hac vix melius, tu DEVS alme dabis.  
 O summum, primumq; bonum, quo prorsus adempto,  
 Dulce viris nihil est, viuere dulce nihil.  
 Libera avis melius syluis, & dulcius escas  
 Dulcibus in campis, dona benigna, capit.  
 Aurato quàm si pinguescit carcere clausa,  
 Vberibusq; canens vescitur illa cibus.

Fallimur?

Fallimur? en melior nunc stat sententia menti,  
Altitonans pepigit iura marita DEVS.  
Casta DEVS mens est, oculis mortalia castis  
Aspiciat, incestos damnat, amatq; pios.  
Impius heu nimis est, Stygijsq; emissus ab antris,  
Qui violat liciti iura sacrata tori.  
Dignus is anticyra purgari, dignus is acri  
Helleboro, carnem commaculando suam.  
Vincula sed thalami qui connubialia temnis,  
Non impunè unquam (tu mihi crede) feres.  
En dabis heu nimias tali pro crimine pœnas,  
Impie nec dubita, præscia turba sumus:  
Teucra cur rabido ceciderunt Pergama bello?  
Sanguine cur Theba commaduere nigro?  
Cur perijt flammis Sødome? cur ampla Gomorrha?  
Cur Spartana potens vrbs fera damna tulit?  
Causa patet: rupit contemti frena pudoris,  
Legitimi violans iura verenda tori.  
Ergò tibi SOCIAM thalami quod, SPONSE, pudicam  
Iungas, acceptam rem facis ipse DEO.  
Felices ambo, totoq; ex asse beati,  
Quos irrupta sacer sub iuga raptat amor.  
Hinc meritò exultans tales tibi grator honores,  
Latus & ex imo pectore plaudo tibi.  
Exoptoq; pijs votis, DEVS auctor amoris,  
Vt vestris tædis dexter adesse velit.  
Atque suo vestrum præsens regat igne calorem,  
Mutuus ut vestro pectore duret amor.  
Legitimâ & multâ faciat vos prole parentes,  
Dulcia quæ vestri sint monumenta tori.

Sint

*Sint procul hinc rixæ, sint iurgia, verbera, lites,  
Sint diuersa quidem membra, sed una caro.  
Ambobus commune bonum, communeq; damnum,  
Nil rumpat sociam, mors nisi sola, fidem.  
Ast incluse tori tandem pie SPONSE sagena,  
Coniuge cum casta ludito sæpè: Vale.*

Andreas Marquardus Eckersbergensis  
Sponsi agnatus Lipsiæ F.

A L I V D.

**E**X puris veluti gemmis hic eligit illam,  
Quæ superat reliquas, quæq; nitore valet:  
Sic tibi tu pulcram nunc eligis ipse puellam,  
Quæ præstat Veneri, purpureisq; rosis.  
Ergo tibi hanc sortem fraterno pectore grator,  
Atq; precor thalamo mitia fata tuo.  
Et rogo, cui casti curæ sunt vincula lecti,  
Prosperet ut thalamum, FRATER amande, tuum.  
Multipliciq; simul faciat te prole parentem,  
Ac tibi det Pylî secula longa senis.

Ioannes Rüdiger Sp. Fr. Germanus  
Rosælebî F.

Γ Α Μ Η Λ Ι Ο Ν.

△ Εὐτε ὀλυμπιάδες ποτὶ δεσμὰ γαμήλια μύσαι,  
Τόνδε Φίλου γαμβροῦ περικαλίμῳ γυνέπετ' αὐδῆ  
Ὡς ποτὲ τ' Κάδμῳ τὰ ἀθύρματα τερπνὰ γάμοιο  
χάλεσιρ δ'υμνέως μελέεσιρ αἴσατ' ἔπεσι·  
Δεῦτε Φίλαι Κῦραι χαρίτων ἀπὸ κάλλ' ἔχουσαι  
τυπῆε Φιλόσοργοι νέοι ἴστατε; χαίρετε γαμβροῖ

Καλῶ

Καλὸν εἰδόντες παῖνονα, ἠδὲ γέροντες,  
κλάετε μὲν πάντες· ζηλωτὸς ὁμόφρονθ' εὐνάς  
Νύμφιθ' ὁ ΣΤΕΦΑΝΟΣ ΜΑΡΙΗΝ ποτὶ δ' ὕτικον οἶκον  
ἰμερέεσσαν ἀγὴ κάλλιθ', σῶμα, σῶμα καὶ ἀκμῶ.  
Τῶδ' ἐκόρην χάριτες περικαλλέα ὄσαν ἰῆσαι,  
τοῖς γλαφυροῖς ἀφ' ἐτῶν δ' ὠροῖς κόσμησαν ἀπασέων,  
τάσδ' ἐῦπερβαίνει πάλας ἢ ὑπέροχθ' αἰδῶς·  
αἰδῶς παρθενίης κεμήλιον ὄσα ἀεισῶ.  
αὐτὰρ ἐπεὶ Νύμφοσ τε νέθ', καὶ πότνια Νύμφη,  
τρεῖς μάκαρες γλυκεροῖς ἀφ' ἐτῶν δ' ὠρήμασι πασῶν·  
εὐχόμεαι τὸν θεὸν ἀθάνατον, θεὸν ἀερεοπητιῶν,  
ὡς αὐτὸς καθάπερ Καναναίῳ ἐνὶ πολλυέθρῳ  
πηγαῖον τὸ ὕδωρ μετ' ἀβησεμ' ἐς οἶνον ἀεισῶ.  
οὕτως καὶ θαλάμοιο ἄχος μετ' ἀβάλλη ἐς ἠδ' θ'.  
χαίρετε παμμάκαρες γαμίη βιοτεύετ' ἐν ὄνῃ,  
χαίρετε, οὐτιδ' ἀνοῦ τόδ' ἐσέργετε δ' ὠρον ἐταίρῳ.

Adamus Reinhardus Echardimontanus Sp.  
ἰμορθ' ἀκίβδηλαθ'.





aut emissa voce magna ex  
piravit **ps. nr.** Et uidi ce  
ph lassu e' in duo. alio me uita  
deorsu. Vides aut' e' in quo  
exadulo stabat. ga sic clamor  
expirasti ait. Ver' hic homo  
di filius erat. Erat aut' e' in  
heres de lege aliter. Me  
qs erat in me. Me' p' d' e'  
et maria. In me' p' d' e'  
yoseph man' e' salu' me  
Et cu' e' in me' p' d' e'  
eu. et misit. Me' p' d' e'  
miser q' h'ent e' in me' p' d' e'  
ultra. **ex.** **E**rat  
seru e' in me' p' d' e'  
erat qd' e' in me' p' d' e'  
yoseph alio in me' p' d' e'  
decurio qd' ipse e' in me' p' d' e'  
decurio di. Et in me' p' d' e'  
me adp' s'ate e' in me' p' d' e'